

non satis esse zelum, nec charitatem sine oratione, quia virtutes, quæ oratione non fulciuntur, deficiunt, et nos peribimus. Ratio patens est: quomodo durare potest charitas, si Deus perseverantiam non præstabit? Quomodo nobis perseverantiam præstabit Dominus, si eam ab ipso non expostulamur? quomodo eam expostulabimus sine oratione? quomodo hoc miraculum (nempe perseverantiam obtinere sine oratione) fiet sublato aqueductu celestium influxuum in animas, nempe orationem? sublata oratione nulla cum Deo intercedit communicatio, ut virtutes conserventur, nec aliud medium, nec aliud remedium existit, ut a Deo bona consequamur.

Contra nos monitōs facit Dominus, quod qui veritates æternas, nempe mortem, iudicium, et duas æternitates felicem, aut infelicem, quæ nos manent, meditaverit, immunem a peccatis se servabit: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Eccli. 7. 40.* Dicebat David quod æternitatis meditatio eum in virtutum exercitium incitabat, et ad spiritum a defectibus purgandum: *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui... et exercitabam et scopebam spiritum meum. Psal. 76. 6. 7.* Et dicebat quidam auctor, quod si interrogarentur damnati, cur vos in inferno reperimini? responderent major eorum pars: nos in inferno reperimur, quia infernum non cogitavimus. Qui in spiritualibus exercitiis de veritatibus æternis commonetur, impossibile est ut ad Deum non convertatur, si illas attente audit, et illas credit. Sanctus Vincentius de Paulo dicere solebat, quod si peccator Missionibus aut exercitiis spiritualibus ex animo adesset, et se non converteret, prodigio hoc simillimum erit, et tamen qui concionatur et loquitur in exercitiis, non est nisi homo, dum in oratione mentali est Deus ipse, qui animam alloquitur: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

Osee 2. 14. Deus utique omni concionatore sapientius loquitur. Omnes Sancti facti sunt sancti per meditationem. Et experientia docemur, quod illi qui orationi insistunt, cum difficultate in mortale peccatum descendunt, et si forte aliquando cadunt orationi insistendo, statim respiscunt, et ad Deum revertuntur. Oratio mentalis, et peccatum una simul cohærere non possunt. Dicebat quidam Dei servus, quod multi recitant Rosarium, officium Virginis, jejulant, et in peccato perdurant. Sed qui prosequitur orationem, impossibile est, ut pergat in Dei inimicitia esse; aut orationem omittet, aut a peccato discedet. Sed si orationem non relinquet, non solum a peccato avertetur, sed etiam a creaturarum amore dissolvetur, et amorem suum Deo dabit: *In meditatione mea exardescet ignis. Psal. 38. 4.* Oratio est fornax, ubi in divino amore animæ accenduntur. Possibile non est ex animo divinam bonitatem, meritum quod Deus habet ut ametur, amorem quo nos dilexit et diligit, considerare, et animam erga Deum non incendi. Dicebat idem regalis Propheta Deum cogitando et opera magna charitatis suæ erga homines meditando, quod totum se inflammatum sentiebat ad illi obsequendum, et suum spiritum deficere, cum incapax esset ad consolationes superabundantes recipiendas quibus tunc Dominus se ei communicabat: *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum et defecit spiritus meus. Psal. 76. 4.* Sed ad praxim descendamus.

Loquendo de loco orationi magis accommodato, commodior est ecclesia: sed illi qui eo adire, aut ibi commorari non possunt, in quolibet loco, domi, villa, etiam deambulando, etiam laborando, mente ad Deum elevata, orationi vacare possunt: quot ruricolæ, cum alio modo non possint, orationem laborando et in itinere faciunt? Qui Deum quærit, ubique et omni tempore eum invenit.

Quærat tempus, tempus matutinum est melius. Non bene diei actiones procedent cum mane orationi vacatum non est. Oratio deberet utique bis in die, mane nempe et vespere, fieri, sed cum vespere non vacat tempus, fiat saltem mane. Dicebat V. P. D. Carolus Caraffa piorum operariorum fundator, quod unus actus amoris cum fervore mane in oratione factus, potens erit ad animam per totum diem in fervore conservandam. Quantum ad tempus quo oratio durare debet, parochus aut confessarius pro sua prudentia se dirigat. Certum est quod, ut ad gradum aliquem perfectionis sublimem perveniatur, non sufficit mediæ horæ spatium. Cæterum hoc tempus sat erit pro incipientibus, sed maxime eis insinuet ne orationem omittant ariditatis tempore. Vide dicta *Append. 1. n. 5.*

Denique veniamus ad modum docendi orationem. Illa tribus constat partibus, præparatione, meditatione, et conclusione. In præparatione tres continentur actus, Fidei, nempe de Dei præsentia, humilitatis, et petitionis ut illustretur anima. Dicendo ita: 1. Deus meus, credo te esse mihi præsentem, et de abyssu meæ vilitatis te adoro. 2. Domine mi, propter peccata mea nunc in interno mihi esset morandum, me pœnitentia offendisse te, parce mihi propter tuam pietatem. 3. Pater æterne, propter Jesum et Mariam præbe mihi lumen in hac oratione, ut ex illa animæ meæ profectum percipiam. Deinde dicatur *Ave* ad Mariam SS. ut hanc lucem sibi impetret, et *Gloria Patri* ad s. Josephum, ad Angelum custodem, et ad sanctos advocatos. Hi actus fiant attente, sed breviter et statim ad meditationem procedatur.

Pro meditatione juvat eum præsertim, si legere scit, aliquo libro uti, sistendo ubi animus motum se magis sentit. Dicit s. Franciscus Sales., quod in hoc faciendum est, ut apes faciant, quæ insident in flore donec mel ex-

hauriant, et deinde ad alium trans-eunt. Qui vero legere nescit, meditetur Novissima, beneficia Dei, et maxime vitam et Passionem Jesu Christi: meditatio Passionis (dicebat s. Franciscus Sales.) debet esse nobis ordinaria. O quam perbellus liber est Passio Jesu pro animabus devotis! ibi melius quam in alio libro peccati malitia et Dei erga homines amor percipitur. Locuta fuit olim quædam Redemptoris imago ad v. fr. Bernardum de Corlione, qui eum rogavit, utrum sibi placeret, ut ipse legere edisceret? Imago respondit: *Quid tibi cum legere? Quid tibi cum libris? Ego sum liber tuus, hic tibi sufficit.*

Hic advertendum est orationis mentalis profectum non solum nec tantum in meditatione consistere, quantum in affectus eliciendo, petendo, et deliberando; hi sunt tres fructus meditationis, prout innuimus *append. 1. n. 3.* Igitur postquam quis aliquam maximam æternam meditatus erit, et postquam cor ejus Deus allocutus fuerit, opus est, ut ipse Deum alloquatur per affectus, sive actus Fidei, gratiarum actionum, adorationis, humilitatis et potissimum amoris et contritionis, qui actus etiam amoris est. Amor est illud aureum vinculum quod animam cum Deo copulat. *Charitas est vinculum perfectionis.* Quilibet amoris actus est thesaurus qui de divina amicitia nos certos facit: *Infinitus enim est thesaurus hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei. Sap. 7. 14. Ego diligentes me diligo. Prov. 8. 17. Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo. Joan. 14. 21. Charitas operit multitudinem peccatorum. I. Petr. 4. 8.* Vide dicta in *Opere Morali lib. 6. n. 442.* Venerabilis soror Maria Crucifixa vidit magnam flammam in quam nonnullas paleas projectas vidit statim incendi; ex hoc sibi cognitum factum est, per quemlibet amoris actum ab anima abstergi ac destrui omnes culpas commissas.

Præterea doce: s. Thomas quemlibet actum amoris efficere ut nos gloria æternæ gradum unum adipiscamur: quilibet actus charitatis meretur vitam æternam. Actus amoris autem sunt dicere: *Deus meus, te omnibus præpono. Ex toto corde te diligo.* Aut se totum in voluntatem divinam committere, dicendo: *Domine, fac me cognoscere quid de me tibi placeat, quoniam paratus sum ad omnia.* Aut se sine ulla reservatione Deo offerre, dicendo: *Ecce me, fac de me, et de meis omnibus quod tibi lubet.* Et præcipue hæc oblationes sunt actus amoris qui Deo maxime sunt cordi: quapropter s. Theresia quinquagies quotidie se Deo offerebat. Actus perfectissimus amoris est gaudere et sibi complacere de infinita Dei felicitate. Cum vero anima cum Deo se sentiret conjunctam per supernaturalem sive infusam animi recollectionem (ut explicatum est *App. 1. n. 13.*), ei nihil elaborandum est in aliis actibus eliciendis, nisi illis ad quos suaviter a Deo se sentit attrahi: cum debeat dumtaxat tunc attentione amatoria ad id, quod Deus in ea operatur, attendere; nam secus posset divinæ operationis impedimento esse. Notandum insuper, ut advertit s. Franciscus Salesius, quod si unquam ante meditationem per Spiritum sanctum aliquis bonus affectus inspiratur, tunc omittenda est consideratio, et affectibus locus cedendus est; dum consideratio non inservit, nisi ad affectus movendos, quare sine assecuto media omittenda sunt.

2. Juvat maxime in oratione petitiones repetere, cum humilitate et fiducia a Deo lucem suam, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradysum et præcæteris donum sancti amoris sui exponendo. Hortabatur s. Franciscus Sales. inter cæteras gratias ad petendam cum fervore nimis vehementem gratiam divini amoris, quia (dicebat) obtento amore, omnes alias gratias consequimur. Summa hæc

est quod si ob spiritus desolationem in qua forte anima reperiretur, si aliud efficere non potest, sibi satis erit Davidis petitionem repetere: *Deus, in adjutorium meum intende. Domine, adjuvame. Succurre mihi, mihi præsto sis.* Dicebat V. P. Paulus Segneri experientia se doctum fuisse, nullum utilius pro animabus exstare exercitium in meditatione, quam iterum atque iterum petere. Et opus est petere nomine, sive meritis Jesu Christi, qui nobis perspicue promisit, ut supra dictum est: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. 23.*

3. Necesse est, ut in oratione (saltem in fine illius) aliquod propositum sibi statuatur, non tantum in generali, ut esset omnem culpam deliberatam, etiam levem, aufugere, et se totum Deo tradere; sed etiam in particulari, v. g. cum majori attentione ab aliquo defectu se custodire, in quem frequentius lapsus est; aut meliori modo quam prius aliquam virtutem exercere, v. g. patientius talis personæ sufferre molestiam, obedire diligentius tali Superiori, aut tali regulæ, vigilantius in tali et tali re se mortificare. Ab oratione ne discedamus, nisi aliquod particulare propositum deliberaverimus.

Denique orationis conclusio tribus fit actibus, 1. Gratia Deo agantur de inspirationibus in meditatione habitis. 2. Proponatur ad amissim deliberationes factas observare. 3. Petatur ab æterno Patre propter Jesum et Mariam auxilium, ut fidelis servetur. Et terminetur Deo commendando animas purgatorii, Ecclesiæ Prælatos, peccatores, et omnes nostros conjunctos, amicos et benefactores, recitando *Pater* et *Ave*, quæ sunt preces omnium utilissimæ, quas a Jesu Christo et sancta Ecclesia nos edocti sumus.

Oportet autem, cum ab oratione discedimus, 1. ut dicit s. Franciscus Sales. ut colligamus florum manipulum, ut quotidie odoratu de eo ob-

æctemur, nempe unum aut alterum punctum in quo anima magis mota est ad hoc, ut in diei progressu illius recordemur.

2. Oportet curare ut statim deliberationes factas in occasionibus tam exiguis quam magnis, quæ nobis occurrent, in praxim deducamus; v. g. deliberationem cum suavitate suffrendi aliquam personam, quæ in nos ira commota est: aut nos mortificandi in visu, auditu, loquela etc.; et præsertim cum silentio quantum possibile est oportet affectuum habitorem sensum servare; alias statim in actiones et sermocinationes inutiles nos distrahendo, statim evanescit ille devotionis fervor, qui in oratione conceptus est.

Præcæteris denique director suos

pœnitentes incessanter hortetur ne orationem omittant, nec minuant tempore ariditatis, et ne unquam turbentur, licet per multum aut longum tempus desolatione videantur premi. Quot aulici, ait s. Franciscus Sales., eunt principem veneraturi, et contenti sunt simpliciter ab eo videri? Nos ad orationem eamus sine Deo obsequendi; si ipse velit nos alloqui et suis consolationibus nobis favere, de tantis gratis illi agamus gratias; sin minus contenti simus coram divina præsentia adesse cum pace, eum adorando et nostras necessitates ei exponendo; et tunc si Dominus nos non alloquitur, certe nostra observantia et fidelitas ei grata erit, et pro nostra fiducia utique nostras preces exaudiet.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

AB ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 5. die 24. septembris 1665.

In Congregatione generali s. Romanæ et Universalis Inquisitionis coram SS. D. N. Alexandro PP. VII. mature discussis infrascriptis propositionibus:

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Charitatis, ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Concistorio S. C. Eminentis. Cardinal. visa et tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in

foro conscientie absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incurta.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti charitatem postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsi met celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest sa-

cerdos cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione ommissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tene-mur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confes-sarium simplicem sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita

beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat etiam si absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura et studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re mature considerata, statuit et decrevit, prædictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas

damnat, ac prohibet, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit et defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Feria 5. die 18. Martii 1666.

Prop. 29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcumque iter agant etiam si iter necessarium non sit, et etiam si iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lactinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsentis et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V., hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur secluso periculo ulterioris consensus, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinariis ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinariis (vulgo *regalo*), dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientie, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censura.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

A P. INNOCENTIO XI.

Feria 5. die 2. Martii 1679.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta huius, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabiliter tantum utendum non est in collatione Bapt. Ordinis sacerdotalis, aut episcop.
2. Probabiliter existimo iudicem posse iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem.
3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.
4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.
5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.
6. Probabile est ne singulis quidem rigore quinquennii per se obligare præceptum charitatis erga Deum.
7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.
8. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.
9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penis caret culpa, ac defectu veniali.
10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.
11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus, per solos actus externos.
12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.
13. Si cum debita moderatione fa-

cias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo, et Fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fide late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Siquis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologis, est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impediens, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti in Cathedrali, vel præbendam contra earum possessionem injuste impediens.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritar, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam præmium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum.

gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo proposito; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil teneretur, qui major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiata tantum, confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatæ, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesie, etsi emendationis spe nulla appareat, nec est neganda, nec differenda Absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quin imo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mystera semel credidisse.

AB ALEXANDRO VIII.

Die 24. augusti 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.*

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Feria 5. die 7. decemb. 1690.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis Oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus et solis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, alique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est.

sic ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentie Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesie, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multum

temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factae pleraque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosyis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expertus.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a B. Virgine Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indigerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris etc. praetermissis illis: Ego te baptizo etc.*

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernentis infalibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In Eminentis*, est subreptitia.

Adverte: In hac Bulla Urbani VIII. edita anno 1641, confirmantur Constitutiones Pii V. et Gregorii XIII. quibus damnantur septuaginta novem Bani propositiones: in eadem iterum prohibetur liber Cornelii Jansenii, cui titulus: *Augustinus*. Hanc Bullam Bajani et Jansenistae dixerunt esse subreptitiam, tanquam editam a Pontifice veritatis ignaro; cum tamen Pontifex in ea asserat, *ex matura ac diligenti ejusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione compertum esse, in eodem libro multas Bani propositiones proscriptas contineri. Vivit in hanc propositionem.*

INDEX ALPHABETICUS REPERERUM NOTABILIUM

QUAE IN HOC OPERE CONTINENTUR

Prior numerus denotat tractatum aut appendicem, alter arabicus denotat numerum marginalem ipsiusmet tractatus aut appendicis.

A

ABBATES an habeant facultatem capit. *Liceat*. XX. 31. Cuinam conferre possint Ordines 117, ad 120.

Abbatissa, an possit irritare aut dispensare vota. V. 36. An possit donare et dare licentiam donandi. XIII. 12. *ad dubit.* 5. De abbatissae electione. 22. An abbatissa possit colloqui cum omnibus. XIX. 42.

Ablutio. An requiratur tria in Baptismo. XIV. 13.

Abortus et abortivus. An liceat esse causam abortus. VIII. 22. An praegnantibus, quae sibi abortum procurant, incurrant excomm. 23. An in dubio animationis foetus. 24. An liceat medicinam praestare matri. 25 et 26. An baptizandi sint foetus abortivi. XIV. 20. An Episcopi et Regulares possint absolvere saeculares a censura per abortum incursum. VIII. 22.

Abrogare. An decennio leges abrogentur, etiam ecclesiasticae. II. 11.

Absolvere, et **absolutio**. An excommunicati teneantur curare ut absolvantur. II. 21. Non debet absolvi

qui prius non restituit. X. 405. De verborum absol. necessitate. XVI. 5. An absol. conditionata sit valida. 6. An danda moribus si dat signa poenit. 35. ad 4. An si alius testetur illum petiisse confess. 36. Si nullum dat signum. 37. Si in actu peccati sensibus destituitur. 38. De certitudine dispositionis ad absolendum. 118. Absolutus a reservato in bona fide a simplici confess. an valide. 439. An poenitentes possint absolvi ante denuntiationem, etc. 476. Quis potest absolvere a censuris. XIX. 11. Si per sententiam generalem, etc. et an Episc. foris existens, etc. 42. An requiratur praesentia censurati, de absolute conditionata et an absolvi liceat extra confessionem. 43. Requisita pro absolute a censuris. 14. (Vide etiam *Tr.* XX. n. 4.). An confessarius peccet absolvens in mortali. *App.* III. 13. Absolutio censuratum. 80. Sacerdos simplex quando potest absolvere. 430.

Abstinencia a carnibus. XII. 2. A lacticiis. 3. et 4. A larido. 5. A piscibus. 6 et 7. A carne suilla. 8. A sorbetto. 14. A chocolate. 15. Quae-